Lund 1823

DELICIÆ
BIBLIOTHECÆ DE LA GARDIANÆ
IN LÖBERÖD,

QUAS LEVITER ADUMBRATAS,

CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOS. LUND.

ET

PRÆSIDE

ANDR. O. LINDFORS,

HISTORIARUM PROFESSORE REG. ET ORD.
ACADEMIÆ CAROLINÆ H. A. RECTORE MAGNIFICO,

PRO

LAUREA

P. P.

AUCTOR

PETRUS WIESELGREN,

SMOLANDUS.

In Audit. Maj. pridie Calend. Jun. A. MDCCCXXIII,

HOR. A. M. SOL.

LONDINI GOTHORUM,

EX OFFICINA BERLINGIANA,

MDCCCXXIII.

REGI

SUMMAE FIDEI VIR, ANTEHAC APUD EXTEROS PLENAE POTESTATIS LEGATE, JAM AD COHORTEM PRAETORIANAM CENTURIONIS, AD EXERCITUM GENERALIS LOCUM TENENS, DEVOCATORUM AD PUBLICAS ACTIONES PRAEPARANDAS PRINCEPS, REGIORUM ORDINUM EQUES ET COMMENDATOR, ORDINIS REGIS CAROLI XIII EQUES ETC. ETC.

EXCELLENTISSIME ET GENEROSISSIME

DOMINE ATQUE COMES

JACOB PONTI DE LA GARDIE!

Accipe, *Mæcenas*! tenues quas porrigit herbas
Dextra; etenim legit lilia rure Tuo.
Tu, quem Pallas amat, Charites cui summa dedere,
Ne mea, quæ pallent, despice serta tamen.
Ne juvenum fugias, quamvis grandævus, amorem;
Cernitur in pueris Posteritatis amor.

Nam genus effloret, genus occidit, instar agelli,
Ver ubi perpetuum, sed variante typo.
Herbula, quam texit flos frugifer, ipsa rubescit
Fructibus, huic quando decidit omnis honor.
Et quoque Posteritas tempus, quod floruit ante,
Invidia missa, judicat atque canit.
O! quam dulce, cui detur TUA dicere facta
Virtutesque TUAS ingeniique decus.
Non minor absque atavis, villis & Cæsaris aura;
Sed tamen his major simplicitate TUA.
Suave tamen Suecos quos læti dicimus, ætas
Et quibus hæc floret, dicere posse Patres.
Quasque voces roseis e collibus accipit, urnas
Qui condunt, suboles! Quomodo scripta monent!
Non sine forti animo PONTUM, qui Conditor olim
Gentis erat, quemquam cernere posse puto.
Brachia Martis habet, sed Palladis ardor in Ejus
Lumine & in fida Suecia mente fuit.
JACOB, ut ille Deus, qui fulmina misit & idem
Summovit, bello paceque magnus erat.
Jam juvenis Carolo Philippo regna parabat;
Orbis in æternum Discipulumque stupet,
Lumine qui boreæ crines circumdatus, umbras
Depulit Europa, laudis iterque docet.
MAGNUS & Hesperidum rapuit poma. Insula servat
Conglaciata nemus, quam super Ursa micat.
Græcia erat *minor* hic, gens libera, Numina ficto
Nomine. Iduna comans aurea mala tenet.
Roma Gothosque petit. Lyra pini ludit in umbra
Ovidii; apparet Tullius ipse Scythis.
Aula tenet Comitis juvenes plerosque, vocetur
Nunc quibus hæc ætas *Aurea* jure suo.
Temporis hic Phœnix Rudbeck, qui rettulit orbem
Huc, quia doctrina continet omne sua.

Hic quoque Lagerlöf Vates, qui pectore condit
    Lilia, mente rosas, lusciniamque lyra.
Ut zephyrus ludit, queritur velut oscen in ulmis,
    Hic canit. Eloquio Norrman ibique viget,
Et Comes omnibus est Mæcenas, omnibus idem
    Justus & humanus, doctus & ille simul.
Eloquio viguit. Qualis cum floribus ornant
    Heroëm Charites, talis imago fuit.
Consul obumbratur; numeris ast omnibus ecquis
    Hic perfectus erat? Tota nec umbra rata.
Mox Orator adest. Academia Sueca jubebat.
    Fortunate! cui tam mora longa favet.
Hic *) etenim Genius, qui se velamine texit
    Translucente; tenet sed tamen ille lyram.
Multus eram pictor. Lætatur tempore Musa,
    Ad Patriam Aonidum quo rediere chori. —
Cum Carolo stellans super orbem Magnus Julus
    Plaustrum agit. En quantum nunc iter illud epos!
Sed puerum rides, Veterum qui nomina jactat;
    At mihi sic Patres commeminisse placet.
Nec Tu degener. En testis Tua Patria & omne,
    Quo fueris, regnum. Patria testis erit.
Ecce Themis, Musæ & Charites comitantur amicum,
    Purpura quo Reges vestit, & arva rosæ;
Quo fremit unda maris, Zephyrus quo lilia motat;
    Fama licet numquam possit ubique sequi.
Magnus Gabriel es sine queis hic pingitur umbris;
    Grataque Posteritas id Tibi sponte dabit.
Non tamen hic locus est, multis depingere facta
    Virtutesque Tuas, dum Tibi vita manet.
Utque *Deo*, *Regi*, *Patriæ* **) juvenemque Virumque
    Sacrabas, niveum sic dabis hisce Senem.

---

*) Dr. Franzén. **) Symbolum Comitis.

Num tamen eximium, precibus cum solvitur æther,
Cum facies radiat colloquioque Dei?
Num quoque jucundum, semper succurrere, lætos
Cernere item vultus, quos modo luctus habet?

*
*   *

Löberöd est titulus, quo charta notatur. Eandem
Cum legis, eximii sis memor Ipse loci.
Hic jam vere rubet, volucrum cantuque repletur
Aura, tapete suum Flora colorat item.
Litore se cernunt niveæ viridesque coronæ
Arborum; hiems veri jungitur ipsa quasi.
Hic olor & fluvii niveis allabitur alis
Litore; valle nitent lilia, colle rosæ.
Aureus exoritur Phœbus roseusque recedit,
Et fluit & refluit flamine læta ceres.
Cæruleoque polo stellæ aurea carmina scribunt,
Orbe suo saltant cum super arva Tua.
Florane consevit frustra Tua floribus arva?
Num reduci nectet sertaque nulla Tibi?
Immo Tibi nectet! Quibus hic læteris, abundat
Omnibus aula. Tegat Te reducemque brevi!
Contigit eloquium & sapientia Nestoris; Anni
Contingant itidem, mœstaque nulla dies!
Hinc tamen aufugies, remanebit at, instar Eliæ
Ingenii, nomen factaque clara Tua.
Tu novus at cernes stellas celebrare choreas
Sub pede, dum resonat pollice chorda Tuo.
Ambrosiasque comas Zephyris undare videntes
Angeli, eis nectunt lilia mixta rosis.

*
*   *

Decolor at versus: Genius, cui decidit ala;
Ast animo superest integer ille meo.

Devotissimus
P. Wieselgren.

Libros nosse, dimidia est scientia.

Erasm. Roterod.

Omnem literarum orbem, quotquot terras & sæcula continuerit, in unam ingerere domum, magnum sane & præclarum. Auctorum enim instar literæ, quas scribunt, & hi ipsi, qui scribunt, flos generis & ætatis. In scriptis semper vivunt, nec umquam senescunt, si quando in illis vigor fuerit juvenilis. Dum literæ gentis cujusdam non evanuerunt, facta ejus & dicta, quid? quod, ipsa gens superest. Græcos qui legit auctores, in prisca quasi Hellade vivit, cum Achille militat, cum Pindaro canit, cum Platone philosophatur. Quod si præclarum est, Græciam, quamvis tot tantisque agitatam hostibus, adhuc habere superstitem, quanto excelsius, omnes gentes, quæ quidem immortalitate dignæ sint, reddere immortales. Atque hic summus Bibliothecæ parandæ finis, ut docti plenum perfectumque librorum thesaurum inde a remotissimis temporibus uno in loco promtum habeant.

Bibliotheca quidem *Comitis Excellentissimi* Jacobi de la Gardie *in Löberöd,* quam describere in votis est, licet inter recentissimas, est tamen inter primas digna, quæ innotescat.

Historia illius brevis. Manuscripta, quæ exstant, a patribus, inde a Ponto libero Barone De la Garde, collecta Possessor accepit. Ita scilicet celebris semper fuit gens DelaGardiana, ut historia ipsius & Patriæ arctissimo vinculo cohæreant. Librorum vero, quorum amplius decem millia adsunt, haud contemnendam partem, a Patre Avoque in Sjöö Uplandiæ collectam, a coheredibus redemit; ceteros vero, eosdemque pretiosissimos, qua insatiabili literarum est cupiditate, postea paravit. Nec studio defuit occasio. Legatus apud Imperatorem Romanum a. 1799—1801, & comitiorum, quæ Gryphiæ a. 1806 habita sunt, antesignanus, Germanicas emit literas. Londini Anglorum a. 1813 & 1814 moratus, quæcumque pulcherrima Musæ ibi habent, cognovit, magnamque partem in patriam reportavit. Lutetiam Parisiorum, cum magno Bibliothecæ emolumento, bis quoque invisit. Legatus Madriti a. 1814 & 1815, se & Patriæ & Musis adstrictum esse probe memor, neutri fuit parcus. Havniæ vicinus & sæpe hospes, ad se Danorum Musas invitavit, & Interpres Evocatorum, qui Regem Throndthemii coronandum a. 1818 secuti sunt, multa, quibus hoc regnum nobis inclarescat, collegit. Holmiæ denique cum plurimam degat vitam, quæ in lucem Cives edunt, facilis parandi opportunitas. Nec silentio prætereundum, auctores harum gentium celeberrimos *) sua Illi opera officiose & humaniter sæpenumero obtulisse; quas præter vias, paucis apertas, Ei eædem, quibus alii utimur, fuerunt. Sic in-

---

*) Septendecim enim linguarum libri Ei inscripti: Suethicæ, Islandicæ (a Celeberr. Rask), Norvegicæ & Danicæ (e. gr. ab Oehlenschläger), Germanicæ (e. gr. ab E. M. Arndt & Kosegarten), Hollandicæ, Britannicæ (e. gr. a Wilberforce & Societ. Bibl. &c.), Gallicæ (e. gr. a Com. doctiss. Potocki & Poëta Planard &c. &c. &c.), Hispanicæ (e. gr. ab Erro, LaGarcia, Academia Hisp. cujus est Membr.), Italicæ, Russicæ, Latinæ, Græcæ, Turcicæ, Syriacæ, Chaldaicæ, Ebraicæ & Arabicæ.

telligi potest, quomodo tanta tam repente exstiterit Bibliotheca.

Hæc de ipsa Historia Bibliothecæ; nunc de colligendi ratione. Non potuit fieri, ut, qui tot tantisque rebus vitam dicaverit, uni alterive scientiæ remotiori totus incumberet. Omnia omnino ita complexus est, ut, nihil negligens, historiæ generis humani literisque elegantioribus primum tamen dederit locum. Nec temporis, quocum adolevit, auctoritati refragatus est. Libri igitur Gallici plus quam dimidiam partem, ni fallor, constituunt. Neque hæc Bibliotheca Academiæ est destinata. At Helladis Latiique adjacet colonia; & cum Lundæ utriusque adsint monumentorum reliquiæ, tum in Löberöd Sueciæ, Galliæ, Britanniæ, Daniæ, Germaniæ & Hispaniæ enitent flores. Lundæ, quidquid aurea, quæ olim fuit, ætas habuit optimum; In Löberöd, quidquid nostra habet insigne, collectum cernitur. Sin vero filius nepotesque in Patris cœptis pergant, de quo non est dubium, quantum & quam celebre olim hoc Musarum domicilium!

Bibliotheca, de qua sermo est, dicitur *DelaGardiana*. Possessor enim est Jacobus *Comes* De la Gardie, antehac apud Exteros *plenæ potestatis Legatus*, jam ad cohortem prætorianam *Centurionis*, ad exercitum *Generalis* locum tenens, Devocatorum ad publicas actiones præparandas *Princeps*, Regg. Ordd. *Eques* & *Commendator*, Ordinis, qui a Rege Carolo XIII nomen habet & originem, *Eques*, variisque rebus aliis, urbanis, equestribus & literatis præfectus aut socius adscriptus &c. &c. &c. Vir, licet patriis irradiatus fulgoribus, propriis tamen virtutibus clarior. Tanta enim in illo Comite comitas, tantus ingenii flos & lepor, tanta morum elegantia & humanitas, ut nihil majus & melius animo effingere possimus. A Gallia originem ducit, primusque *Pontus*, Liber Baro *De la Garde*, (quæ quidem gens adhuc in Gallia floret, siquidem Comes De la Garde a Rege

Franco-Gallico ad Hispanos est plena cum potestate missus orator), apud Danos militans & bello a Suecis captus, patriæ nostræ nomen suum dedit, atque deinceps sub auspiciis R. Johannis III, soceri sui, fidelem operam præstitit. Multæ ei quoque fuerunt majorum imagines & mens interrita. Filio *Jacobo De la Gardie,* quem unum R. Gustavus II Adolphus Comitem creavit, suumque in omni re militari Chironem professus est, Ebba Brahe, Regis primus amor, erat nupta. Heros ille Scandicus. Filius *Magnus Gabriel,* unus a Thorild in Suecia Mæcenas dictus, summus certe habendus est, utpote qui, ne Suecia a Gallia literarum gloria vinceretur, omni opera studeret. Comes ille in matrimonium R. Caroli X Gustavi duxit sororem, Principem Mariam Euphrosinam. Nepos Jacobi, *Magnus Julius, Axelii* filius, unus e Caroli XII fortissimis amicissimisque fuit Ducibus, cujus nepos *Jacobus, Ponti* filius, Comes *De la Gardie,* jam Regis Amor Patriæque Decus.

Löberöd prædium unico filio, Comiti florentissimo *Gustavo,* nepotumque maximo natu privum declaratum est. Bibliotheca sub eodem jam comprehensa privilegio. Duos lapides Lundâ distat. Licet vetus, cum præsenti tamen Possessore in primis celebrari cœptum est. Nec apparatu suo literario tantum elucet. Mirifica ædium, ut amplitudo & laxitas, ita pulchritudo & concinnitas. Supereminet turris nive candidior & vexillifera, unde latissimus & pulcherrimus prospectus. Hic sub oculis fretum argenteum, hic Havnia superba, hic urbes, Scaniæ decora, Lunda & Malmogia, hic frequentes in lucis villæ & templa. Regio aquilonalis lacubus abundat & silvis, vallibus & jugis. Meridiem versus in campis nil nisi flores & segetes, adeo ut, quibus Suecia superior & inferior superbit deliciis, eas hic uno intuitu cernere possis. Adjacent horti & nemora, euripi & lacus. In illis lusciniæ; in his cygni. Trans lacum Aurantiarium quoddam regium emicat, ubi ver æter-

num idemque plurium terrarum conjunctum *). Et hic, ubi Floræ templum jam coruscat, palus olim fuit, in qua Possessor, equo vectus, ita demergebatur, ut vix equus servaretur. Vindicta sane Lycurgica! Hortus adest Anglicus Gallicusque, quem una hora vix circuire poteris, roseus vere, aureus auctumno, ubi a. 1800, cum hanc villam, dote acceptam, possidere cœpit, vituli in umbra betularum ludebant. Vid. *Thersners Skånska Vuer.*

Hic, dum formosissimi erant anni 1821 & 1822, versari mihi contigit. Omnia, quæcumque ars & natura habent eximia, me ceperunt, & ut alii quoque, quoad me interprete fieri potest, quadam ex parte delectentnr, nonnulla de Bibliotheca edere meditatus sum. Sin vero titulo dissertatio non satis respondeat, ingenio sæculi condonetur. Namque hic nihil, nisi brevissimus maxime memorabilium catalogus, exspectandum erit, quamvis liber potuisset confici copiosissimus. Quem vero Catalogum sive legas, sive illectum abjicias, tibi B. L. persuadeas velim, hanc Bibliothecam omnibus, quibus illam cum Possessore videre contigerit, fore longe præclariorem, quam quæ, me scribente, exposita fuerit.

Bibliotheca, quæ duobus concluditur cubiculis, eisdemque spatiosissimis, in ordinem disciplinarum disposita est. In uno cubiculo Historia universalis & Patria, Geographia & quæ alia ad hoc scientiæ genus referri possunt, Libri Politici, & qui Jurisprudentiam, rem Militarem, Medicinam & Naturæ vires veneresque respiciunt. Hic quoque Museum quoddam & album, in quo nomina inscripta sunt Regum, Principum aliorumque genere ingenioque clarorum, qui

---

*) Ut enim literas, ita quoque flores terrarum, quas invisit, Excell. Possessor copiose reportavit.

Löberöd inviserunt, conspiciuntur. Alterum cubiculum, ubi libros Theologicos, Philologicos, quique ab humanitate nomen habent, Philosophicos, ceterosque invenies, lacunari exaltato, spatiosius reddere Possessor constituit, quo Manuscripta, quæ fasciculis comprehensa jam tribus continentur arcis, aptius conserventur. Omnia vero, quæ heic asservata sunt, ita secernimus, ut

I. *Manuscripta,* tum quæ fasciculis comprehensa, tum quæ in librorum formam compacta sunt;

II. *Libros quodammodo rariores,* & denique, appendicis loco,

III. *Museum* leviter attingamus.

I. A) Manuscripta fasciculis comprehensa.

E catalogis, a Comite Excell. adumbratis, quos, ordine servato, scripsimus, hæc excerpta in lucem edantur.

Prima collectio

est literarum, quæ Possessorem ipsum propius attingunt, nepotibus præsertim servata. Quæ quidem collectio in duas abit partes; ad unam ea, quæ alii ad Ipsum scripserunt, ad alteram ea, quæ Ipse conscripsit, referimus. Epistolæ vero, quas acceptas servavit, in duas quoque dilabuntur classes, patrias & exteras. a) *Epistolæ patriæ,* partim regiæ, partim civicæ. α) *Regiæ* 164, quorum centum Carolus & Dux Sudermanniæ & Rex Sueciæ "ad amicum singularem" dedit. Uno tantum anno triginta familiarissimas scripsit. Carolum vero qui præcessit successitque, quamvis ingenio rerumque gestarum gloria valde dispares, eodem tamen gratia Eum, cui adscripserunt, amplectuntur. Qua in re Reginæ horum Regum Serenissimæ aliique Principes quasi certant. β) *Civium* epistolarum tria millia

conservavit. In his Auctores & Tempus, quo scripserunt, ingenium suum cultumque posteris explicent. Scilicet e literulis homo melius sæpenumero noscitur, quam ex factis scriptisque celeberrimis. Quis est, quin Aristidem in testula scribentem magis admiretur, quam in ipsa apud Salamina pugna navali? Plenæ quoque hæ literæ sententiarum judiciorumque, quibus nihil acrius, plenæ historiarum maximi sæpe momenti, quæ alias fortasse perirent, adeo ut, qui lucem non metuat, eum hoc veri studium, quod posteri laudabunt, non offendere possit. Quibus nominibus Patria jure gloriatur, plurima hic occurrunt. Nescio enim an ulli, quam Excell. Comiti, cum hominibus literarum usus frequentior. Ipse amplius mille epistolas per singulos scribit annos. Literæ, quæ redduntur, optimus Ejus panegyricus. Hic excelsis doctisque Tusculanum; hic miseris & afflictis portus. Omnibus ad Illum facilis aditus, nec umquam se sentit feliciorem, quam cum aliis succurrere potest. Inter illos, qui, ut in Patria virtutum, ita hic epistolarum multitudine elucent, Comites Excell. *J. C. Toll,* qui ne literam quidem sine sale scripsit, *L. v. Engeström,* Cancellarium & Patrem Academ. Car., *M. Brahe, M. Aukarsvärd, M. Armfeldt,* ceteros, qui centenas singuli miserunt epistolas, tantum adferam. Sin vero eos, qui ingenio & doctrina inclaruerunt, enumerarem, quis denique catalogi finis? In paucis eligendis sane dubius, duos tantum referam. *Thorild,* quem *Jovis fulmen* recte dixeris, de Gente DelaGardiana diversoque literarum Gallicarum & Germanicarum in cultum patriæ humaniorem effectu, ligata oratione scripsit. Alii hæc epistola reservata tempori. *Ödmann,* N. Fœd. interpretum Coryphæus, huc quoque de se suisque operibus eorumque numero scripsit. Nec sine usu in vita hujus magni celeberrimique viri conscribenda. Volumina 74 insigniora, præter innumeros Nuntiorum Actorumque literariorum locos, edidit. Cetera nomina, utpote quæ omnem fere hodiernum Sue-

ciæ florem complectantur, silentio prætereunda videntur. b) *Exteras,* quæ fere mille sunt, *epistolas* jam adgredior, eadem ratione secernendas. α) *Regibus* enim *Ducibus*que quædam debent originem. Adferam FREDERICUM WILHELMUM, Borussorum Regem, & *Albertum,* Ducem, virum de literis & artibus meritissimum, qui ea, quæ utræque harum habent pretiosissima, curiosius ipse collegit. Ille ab a. 1801 usque ad a. 1819 literarum usu & amore cum Comite Excell. fuit conjunctus. His addentur: *St. Carlos,* Dux rerumque in Hispania urbanarum administrator; *Carolus,* Archidux Romanus & unus summorum, quos hæc nostra tulit ætas, heroum; *Duces,* utriusque sexus, Britannici quinque; *Ludovicus Philippus,* Dux præfecturæ Aurelianensis & Dux *Wellington,* fama super æthera notus. β) Ceteras *epistolas* homines licet non sanguine nixi regio, tamen genere & virtutibus præclari scripserunt. Adferam tantum: *Bell,* Doctorem, de disciplina, quæ sub illius nomine inclaruit, meritissimum; *Chateaubriand,* Auctorem inclytum, qui in medio rerum omnium Gallicarum discrimine, pro Diis, qui jam patriæ reliquerant fines, recuperandis, acriter pugnavit. Ille enim, ut antiquus temporis computandi ordo rediit, in id sincere, si minus considerate, (qui meliora quærentibus error communis), studuit, ut ad Majorum pietatem religionesque cives reduceret; *Davy,* Humphrey, qui de principatu in Chemia contendit; *Erro,* qui Originibus l. mundo el primitivo aliisque operibus inter doctos Hispanos locum sibi adquisivit eximium; *Febore,* qui Ducis Alberti præfuit collectionibus, multas de eisdem ceterisque a. 1805—1819 scripsit epistolas. *Gasca,* Botan. Madriti Prof. ad nostra usque litora notum; *Hauk,* Excell. Regis Daniæ Summum Mareschallum, nec naturæ indagatorem minus illustrem; *Kalkreuth,* Borussici exercitus principem, lauris victoriisque splendentem; *Knigth,* Auctorem Græcarum literarum studio in Britannia clarum; *Kosegarten,* Poëtam celebrem, qui quoque Musas Britannicas Germa-

nis notiores reddere studuit; *Lancaster*, qui, velut Dr. Bell, nec frustra, suam docendi methodum Comiti Excell. commendavit; *Liwerpool* Sen. Patricii Ord. Brit; *Münter*, cujus nomen laudemque non freta circumscribunt, non sæcula vincent; *Quintana*, Poëtam Hispan. illustrem; *Rühs*, antiquitatis & historiæ studio satis celebrem; *Sidmouth*, Sen. Ord. Patr. Brit. rerumque administratorem urbanarum; *Staël*, celeberrimam, quam hæc tulit ætas, feminam; *Wellesley*, qui cum Comes noster Excell. Suecorum, ipse Britannorum in Hispania fuit plenæ potestatis Legatus; *Wilberforce*, decus deliciæque generis humani.

Alteram jam nacti hujus collectionis partem, quæ Excell. Comes ipse scripsit, paucis indicabimus. Qui cum partim rebus publicis, partim privatis Musis, (quamquam & hæ publicam rationem maxime attingunt), vitam dicaverit, hac duplici ratione Ejus scripta distribuenda videntur. Rebus publicis & foris & domi consuluit. Nuntii adsunt, quos Legatus Viennæ a. 1799—1801 ad Regem Sueciæ, Princip. de Colleredo, de Wurtemberg & Metternich &c., & quos Legatus Madriti a. 1813—1815 ad Regem Regnique Successorem atque imperii Suethici Administratores &c. misit. Domi autem patriæ non minus consulere cupiit, & omnia fere, quæ ad Comitia attinent, hic quoque conservata. Interpres Evocatorum Nobilium Gryphiæ a. 1806 de servitu in Pomerania tollendo multas, quæ adsunt, habuit conciones; in primis vero omnia, quæ Comitia a. 1809—10 Holmensia respiciunt, & e quibus ipse multa scripsit, collegit, quo de se illoque tempore posteri verius judicent. Acta quoque secreto Electorum, quorum princeps erat, hic, opinor, adsunt. Huc quoque epistolarum, quas ipse a. 1782—1822 scripsit, primas perscriptiones referam. Nec Musarum infrequens cultor, ad quas & sua ipsius natura & clarissimorum virorum con-

suetudo invitavit. Sic hoc loco commemorare licet manuscriptas memorias Proavi Jacobi Comitis De la Gardie, Com. Ax. Oxenstiernæ, Ducis Frederici Adolphi, Excell. Comitum J. C. Toll, amici sui singularis, & C. Mörner, nec non Regis Augustiss. CAROLI XIII, ex quibus tres illæ posteriores typis vulgatæ sunt. Eloquentiæ laude, ubicumque fuerit, clarissimus, cum poëtis non omnino sprevit commercium. Viennæ poëma illud celebratissimum, quo Haydn orbem quasi iterum creat, Suethice interpretatus est, idemque isto loco Suethicis typis, quod sane singulare, exscribendum curavit. Multo vero majora & graviora sunt, quæ, licet in librorum formam compacta, ne a fratribus divellantur, ad hunc tamen locum commodissime referri posse videntur, *Diaria*, sub legationibus ab Excell. Comite conscripta.

Journal under en resa till Wien, vistandet der och hemresan till Sverige 1799—1801. 3 Tom. in Fol. Commentarios hosce diurnos, cum a Rege Suethico ad Imperatorem Romanum plena cum potestate legaretur, Comes Excell. conscripsit. In ætate, quum omnia, quorsum ferat via, florent, solemnibus nuptiarum nuper finitis, novum agendi campum lætissimus adgreditur. Comitatur Comes, sibi nupta, Illustrissima *Chr. Sparre*, sexus sui decus, quam per duodecim annos tenerrime amavit, quamque per duodecim jam annos vero desiderio luget. Neque his diariis quidquam festivius lectuque jucundius. In illis Auctor optime cernitur. Quantus enim in his decor pietatis humanitatisque! quanta rerum cognitio! quantum judicii acumen! Adornata præterea sunt tabulis & picturis, in quibus species terrarum & urbium, quas peragravit, hominumque, quos vidit, expressæ ponuntur.

Journal under en resa till England, Frankrike och Spanien 1813—1815. 10 Tom. Bilagor 6 Tom. Regist. 1 Tom. 8:o.

Descriptio hæc est itineris; quod, cum Legatus Regis Suethici Hispaniam adiret, Comes idem fecit. Qualis Europa illo quam maxime insigni erat tempore, talem oculis legentium illam subjecit. Quot quantosque Viros hic cognoscere licet! Ad omnes enim temporis ejus clarissimos homines, ne dicam moderatores, aditum habuit facilem, Londinique præsertim, omni, quo par fuit, honore cumulatus est. Principes Regii, & quibus aliis *Urbs* floruit, cum illo consuetudinem junxerunt. Nec minor illi in Gallia Hispaniaque honos habitus. Omnia, quæcumque visu & auditu digna sunt, ei patebant, nec Ipse socors & incuriosus, sed diligens & attentus rerum indagator. Sic quam plurima lectuque jucundissima de omnibus narrat. In appendice ea, quibus commentarii illustrentur, collecta habes. Opus sane, in quo Auctor, ut tempus, quod describit, semper vivet.

Journal under en resa till Norrige 1818. 1 Tom. 8:o. Electorum princeps, qui Regem nostrum Augustissim. Clementiss. CAROLUM JOHANNEM Trondthemii coronandum comitati sunt, hæc acta diurna Comes noster Excell. scripsit. Lætius illustriusque iter ne fabulæ quidem veteres descriptum habent. Sceptro enim thyrsus cedit lauroque vitis. Aurora aureæ ætatis alpes, quas laureatus ille Heros, Alcidis instar, se trajicit, reddit purpureas. Summis illis cœlum nititur stelliferum, in mediis silva semper viret & cum ventis colluctatur, & intestinis venæ micant metallorum, unde robur & securitas. In vallibus pecora formosus pascit adolescens, & in pratis rosea Flora flavaque Ceres. Talem Norvegiam Auctor depingit. Nec minus placet mutuum Norvegorum Suecorumque, quod Deus in posterum fortunet, amicitiæ studium. Ut enim in fabula de fundatione Norvegiæ Gorus, fratrem Norum desideratissimum hic revisens, lætatur, ita civium post longum discessum conjunctorum reconciliato-

rumque animi exhilarantur. Alpes odia pristina superjacentes recondant; &, ut in carmine quodam vetustissimo est, super sepulchrum ramos connectant uberrimos utriusque terræ quercus, roboris tranquillitatisque imagines. Quarum in umbra, ubi nullus sævit aquilo, nec ullus calet auster, ossa molliter cubent nostra, lætitiisque omnibus læti nepotes floreant!

Secunda collectio

est literarum, quæ maxima ex parte Historiam Patriam respiciunt, inde ab a. 1270 usque ad tempus nostrum scriptarum.

Literæ *Membraceæ* adsunt 567 inde ab a. 1270, quas Gustavus Caroli Ekholmensis, Magnus, Dei Gratia, Episc. Aboensis, Jösse Benedicti, Archiep. Ups., Bænkt Sture &c. &c. scripserunt. Quum vero illas in opere, quod inscribitur: *Handl. rör. Scand. Hist.* recensas mox videre liceat, hic, quamvis pretiosissimæ sint, illas relinquimus.

Literæ *Regiæ* patriæ plus mille adsunt, nec ullus est, inde a Gustavo I, Rex, cujus hic non exstent epistolæ. Judicium huc quoque relatum est Electorum Reginæ *Philippæ* de Fängelsås, (hodie Christinætorp, ad Löberöd viduarum recessu), anno *ett tusend fyra hundra oc paa det femta* datum. Quum vero hoc ævi sui sidus a. 1406 primum Britanniam relinqueret, verum hoc judicium quidam negat; defendit vero, mappik ingeniose ficto (femtā = 15), Possessor. Quod in Actis allatis habes historicis. Inter literas, quas m. pr. subscripsit R. *Gustavus* I, recitem tantum ejus ad Sv. Sture epistolam, una cum Erici Kagg de iis, quæ ab Episcopo Osnabr. elicere potuit, narratione, 1560 datam. R. *Erici* XIIII m. pr. scripta & correcta ejusque firmata sigillo: "Institutio eorum, quæ Nicolaus Sture apud Reginam Elisabetham diceret & interrogatis re-

sponderet," quam indicasse sufficiat, quippe quæ digna sit, ut olim omnino in lucem edatur. *Ejusdem* Instruction för Öfver-Amir. Jöns Bonde R. R. och Under-Amir. Jöns Bagge R. R., huru de sig med Schipsflottan i de Narfveska farvattnen förehålla skola, 1562 d. 5 Maji. Pactum, quod inierunt R *Sigismundus* & *Carolus*, ad domestica dissidia componenda. In una R. *Caroli* x *Gustavi* epistola, quam severa disciplina militari opus sit, multis explicatur. Hic, quæ R. *Carolus* XII scripsit, frequentia. Apices vel insignia militaria, quæ calamo conficerentur, m. pr. depinxit. Nec ulla inde calamitas. Ille enim rupis instar, quæ florum non vestitur purpura, venas autem auri intestinas & cacumen sideribus conditum habet. Amor Patriæ ejus custodia; nomen ipsius, hostium terror. 1785 d. 24 Jan. R. *Gustavi* II: Reservation för Grefvarne Brahe Lewenhaupt, De la Gardie, Oxenstjerna af Korsholm och Wasa, samt Stenbock, å deras rum på Riddarehuset, framföre Prinsar, Furstar och Hertigar, som af Rikets Adel kunna upphöjas, i likhet med Pairerne i Frankrike och Lorderne i England.

Regiæ exteræ literæ quoque adsunt, inter quas citem R. Uladislai, R. Johannis Casimiri Polonorum, R. Christiani IV Danorum, R. Ludovici XIV Gallorum.

Epistolas *privatorum* hominum ultro citroque datas & acceptas adgredior, has paucas saltim relaturus. Adsunt enim *Ascheberg R.* ad Forbum. *Boje N.* ad Sv. Sture (16). *Brahe* Ebbæ, *De la Gardie* Mar. Euphr. Principis, & Beatæ conjugis L. Torstensson, &, post illum mortuum, Petri Brahe jun. religiosissimæ, mutuæ epistolæ. *Bredeau* Gaditani, *Destrée* Patris purpurati Madriti & Com. *Fab. Wrede*, mutuæ literæ. *Dahlberg Er.* ad Forbum, Ax. Lilje &c. *Dalin O.* plurima carmina gratulatoria, nec typis exscripta, nec exscribenda. *De la Gardie* Bar. *Ponti* & Doct. Johannis Henrici mutuæ epistolæ, lingua Italica; *Jacobi* Com. & eorum, qui pari in illa ætate heroica erant auctoritate

Cum J. Scheffero ei quoque literarum usus. *Magni Gabr.* & Regum, Consist. Upsaliens, cujus Acad. erat Cancellarius liberalissimus, Mustaphæ Ali, Viziri apud Thatar-Chan, &c. &c. mutuæ epistolæ. Plurima quoque adsunt scriptorum ejus prima exempla, ut defensionis, epistolarum, orationum, memoriarum &c. *Axelii Julii* & Consilii, quod prædia olim publica reduceret, literæ inter se missæ; de quo Consilio, cujus initio Axelius erat socius, hic multa supersunt. *Magni Julii* datæ acceptæque literæ: 31, quas ad illum R. CAROLUS XII, pluresque quas R. FREDERICUS ad eundem dedit, hic asservatæ sunt. *Forbi Arv.* Bar. Excell. Pomeraniæ Gubern., Generalisque sub R. Christina & R. Carolo x Gustavo locum tenentis, literæ cum aliis commutatæ. Memoria sane hujus viri digna, quæ recolatur. In bello enim, quo Haunia obsidebatur, prudentia & fortitudine eminet. Semper in illo pietatis humanitatisque decor. Omnes fere epistolæ, quas accepit, hic servatæ videntur; nam plus mille adsunt. Auctores eorum paucos enumerabo: R. Christinam (17); R. Carolum Gust. (30); Principes Germanicos (45). Bonde Gust. Brahe P. Creutz Laur. & Ern. J. Dahlberg E. De la Dardie Jac., Magn. Gabr. (79); Fersen H. Gyldenstolpe, Helmfeldt S. Gr. Kagg G. & N. (68), Hallenium Doct. (44), Kruus L. Lewenhaupt G. A. Lilje Ax. Polemarch. (33), Oxenstjerna G. (46), Joh. & Er. & Gust. & Bened. Rehnschöld A. (134), Ruuth C. Dr. (60), Sparre P. & E. Stenbock Er. (66), G. O. (42), Ståhlarm Ax. seniorem; Torstensson L. (50), Wasaborg. Winstrup P. Episc. Lund. qui d. 1 Jan. & 26 Apr. 1659, de prædonibus, sic dictis *Snapphanar*, qui circa Heckeberga versabantur, rebusque Danicis &c. scripsit; Wrangel C. G. (125). &c. &c. Copiosissima quoque Forbi scriptorum epistolarumque collectio, & Calendariorum, in quibus omnia quæ quoque die a. 1642—1652 acta sunt, adnotavit. — *Gezeliorum* Patris filiique ad varios epistolæ. *Helmfeldt S. Gr.* & *Margar.* mutuæ literæ. *Königmark* Com. Ph. Chr. & Ducis *Sophiæ Dor.* Hannoveranæ (500) ultro citro-

que datæ acceptæque epistolæ. Hic nepos fuit J. Chr. Königsmark, magni illius Herois, fraterque Caroli Joh. cui Turcorum Victori (*tum* enim multi nobiles Sueci juvenes contra Turcos dimicabant) Venetiis statua exstructa est marmorea; Soror illius Aurora, amica & mater inclytissima. Ipsa vero Sophia Dorothea Georgio I Britann. Regi nupta, mater fuit R. Georgii II. — *Lichtou* Poëtæ Latini ad varios. *Linnei* ad Bedoire epistola, quæ ardentissimum ejus Naturæ studium & amorem declarat, Celeberrimoque Smith, qui nuper epistolas Linneanas collectas edidit, forsan ignota. *Rhyzelii* Episc. ad Com. Cl. Ekeblad. *Rudbeck P.* ad Com. M. G. De la Gardie epistolæ. *Rudbeck O.* ad eundem, annis 1684 & 85, septuaginta & octo literæ datæ. Hic multa de Atlantica. Partim doctorum, quæ adfert, judiciis gloriatur, partim de injuria eorumdem queritur. In primis molestus ei fuit Prof. Schytz, qui ex officina exemplum, quod typis exscriberetur, abstulit, Academiæ, ut inimice perhibuit, gloriæ consulturus. Quædam vero epistolæ ridiculo sane capiti debent originem; nec sine labe virtus. Suspicio Sociorum, quam tamen in Consistorio, præsente Cancellario, refutavit, non omnino fuit irrita. Cum exteri omnia Rudbeckiana tanti æstiment, nos has epistolas oblivioni tradere non oportet. Adest quoque ejus ad R. Carolum XII, Patre mortuo, epistola consolatoria, in qua satis sane eloquentiæ. *Skytte* Sen. ad G. Oxensjerna. *Spegel,* Davidis nostri, vix dum superati, ad varios epistolæ. *Stenbock M.*, Alexandri nostri Crateri, quædam hic adsunt epistolæ; cujus ad Tribunum Mil. van der Noth literæ 1710 d. 11 Jan. datæ, notatu dignissimæ. Nam v. d. Noth cultui speciosiori studens, milites retardavit. Ille autem Tribunum, ut sine mora adveniat, his verbis exhortatur: — — "Troupparnes beklädning är och har ofta varit ringa, men Guds hand har ändå varit med de Svenske och satt i deras bröst ett frimodigt hjerta, fastän kroppen varit betäckt med utslitne vallmars och allehanda bro-

kota kläder och jag hoppas, att samme mägtige Guden lärer ock nu ej vika från sitt folk, att Sveriges trolöse fiender måtte få lika bra stryk af en illa klädd Svenskes hand; och försäkrar jag mig till Guds namns ära och för landets bästa med min sista blodsdroppes uttappande contribuera skola." Cujus talis tantique Viri, ut Regis Caroli, in gente Suethica recens est memoria, quasi cum illis veteres vixissent. A Smolandis Gothingisque, qui superiorem Scaniam incolunt, multa mihi de illo lepide narrata. Dum enim Patria libera erit, qui liberam esse studuerunt, immortales. — *Sture, Sv. Er.* & *Nic.* 1565 hic adsunt epistolæ vicissim commutatæ. Finis epistolæ Erici ad Nic. sane lepidus: "datum, Lieköpingh till Sankte Johanes nat vedh et got rus." *Martha* ad Episcopum Principemque Johannem Monasteriensem 1572. *Terseri Er. Elai* ad Com. Agnetam Horn. Hæc epistola auctore & luce dignissima. Se potius mortem quam infulam Aboensem exoptasse contendit, quippe cum tanta essent Diœceseos detrimenta, ut vix eis mederi posset. Patroni ecclesiarum, Episcopum & Consistorium non consulentes, tunc pastores vocabant. Multa etiam ad suam ipsius historiam pertinentia adfert.

De *Classe* Suecana non pauca hic videre licet. De Trottsö, statione classis adornanda, varia. Ad *Militiam* patriam multa attinent. Bellum sub auspiciis R. *Erici* XIV Danicum, quæ respiciunt, Lib. Bar. Pontus De la Garde, ni fallor, collegit. Hic Caroli Mornayensis de obsidione Elfsburgica m. pr. scripta narratio. Bella vero, regnante *Gustavo* II *Adolpho*, Russicum, Polonicum & Germanicum quæ respiciunt, copiosissime Comes Jac. De la Gardie, senior, contulit. Catalogi copiarum frequentes. Multa Comes ille propria scripsit manu, castraque stilo metatus est. Scripta quoque L. Torstenson hic frequentia. De bellis sub R. *Carolo* X *Gustavo* quædam collegerunt J. Casim. De la Gar-

die, quo vix ullum fortiorem feliciioremque offenderis, Arv. Forbus, G. Kruus, N. Kagg & Ax. Lilie. Tempus, quo regnavit *Carolus* XI, notionibus sane pauper. Commune hoc Bibliothecarum in Patria vitium. Quædam tamen R. S. Drotzætus ille Com. M. G. De la Gardie collegisse videtur. Quum vero R. *Carolus* XII Norvegiam capturus fato cessit, Com. M. J. De la Gardie aderat, qui quoque multa posteris servavit. Inter illa, quæ de bellis agunt, quæ mortem Regis ærariique militaris distributionem respiciunt, maxime memorabilia. Quibus omnibus perpensis, mihi habeo persuasissimum, Magn. Stiernroos, Decurionis tum fungentem vicibus, mox Tribunum Militum, Magistrum Equitum &c., glandem, quam in bombardam Carolus Cronstedt infuderat, in Regem emisisse. Inter quam plurima, quæ huic favent sententiæ, testimonium Celeberr. Tollstadii, cujus narratio ab Excell. Comite, Bibliothecæ Possessore, descripta hic exstat, primas tenet. Hic vero rerum index, non explicatio, quam alii tempori reservemus, quomodo numi, qui aderant, inter duces distribuerentur, tum quoque ex autographis exposituri. De bello Russico a. 1742, sub *Frederico* I, ut de conditionibus Helsingofordiæ dedendæ &c. Comes Pontus De la Gardie nonnulla domum reportavit. De bello vero, cui Excell. Comes ipse interfuit, Russico, regnante *Gustavo* III, scriptum quoddam quam maxime insigne, neque ullo alio loco quærendum adest, quod consultationes de hoc ipso bello suscipiendo in Haga, coram Rege, præsentibus Toll & Ruuth, & post nonnullos dies, Ankarsvärd, Menss. Jan. — Mart. a. 1788, habitas & manu regia subscriptas continet. Hic origo belli, hic Patriæ, sive res exteras sive domesticas respicias, status; hic ingenia Regis amicorumque. A Rege castra adituro Tribuno Militari Toll traditum, ab hoc, cursu honorum expleto, Comiti Ruuth deferebatur, qui huc idem a. 1820 misit. Observationes circa belli denuntiationem a. 1788 historicæ (134 pagg.) & varia, quæ hanc re-

spiciunt expeditionem. Omnia fere, quæ de militibus limitaneis, a. 1808 coactis, agunt, siquidem Excell. Comes, qui collegit, cohorti ipse fuit præfectus, hic oculis posterorum subjecta. Nonnulla quoque, quæ bellum cum Russis a. 1808—9 attingunt, præsto sunt.

Quæ restant, *varii* sane argumenti, ab historia tamen rebusque politicis non omnino aliena. Epistolæ, hucusque reservatæ, ex autographis descriptæ sunt.

Exempla privilegiorum, quæ R. Johannes I, & Ericus XI dederunt. Extractum veteris Missalis Lincopensis de priscis equitibus. Sepulturæ Regum Suec. & aliorum virorum illustrium a) in Ostro-G. Lincop. Alvastra, Wadstena; b) in WGth. Lena, Varnhem; c) Holmiæ, Monaster. Fratrum minor. & St. Claræ; d) in Eccl. Cathedr. Ups. — Exemplum vetustissimum. — Defensionsskrift mot Eric Jörenssons lögner i sin Cronica för min sal. Fader Pehr. M. pr. Abrah. Brahe. Literæ nec omnino absunt de Lib. Bar. Ponti De la Garde, qui Romam Legatus missus est, quo religionem hic restauraret Romanam. Apud Gregorium XIII vero queritur, Luthero nihil fuisse ingeniosius, quippe qui molles Sacerdotum noscens aditus, amori indulserit, & parum abfuit, quin Papa conjugia Clero nostro concessisset. Literæ Amatoriæ Com. Jac. De la Gardie & Virg. nob. Ebb. Brahe. "Farväl mitt höns" sæpe literarum finis. Quam varius & mutabilis sermo! quam constans & idem amor! — Lettres de la Reine Christine & l'Abbé Bourdelot. De oppido Lidköping a Com. M. G. De la Gardie condito. A. 1700 Epistola Ben. Oxenstierna ad Regem consiliis plena & copiosa. A. 1704 R. Augusti (16 pagg.) ad Civ. Belgic. epistola, ubi se Suecos fœdifragos Cancellariæque convicia ulturum dictitat. Hic vita Terseri, e Bibliis, quibus usus est, a S. Ålf, Poëta Latino, exscripta, & alia, quæ Illum Censoresque attingunt Catechismi. Enumeratio Consiliorum XVI in

Suecia ante Cons. Ups. a. 1593 habitorum, quam e schedis fratris Erici exscripsit Henr. Benzelius 1739 (m. pr.). Hic quoque de vita privata R. Frederici I aliquid habes. Varia de Comitiis sub auspiciis R. Adolphi Frederici, de regni ærario publico, de ausis R. Ordd., de dissensione inter Regem Comitemque C. G. Tessin &c. Literarum copia, quæ de Comitiis a. 1789 agunt, maxima. Quæ adhuc recentiora sunt, in loculis suis maturescant. Illis autem hæc collectio maxime abundat, quæ jam edixisse nefas haberetur.

Haud pauca quoque de hominibus clarissimis deque horum actis & scriptis, Excell. & in omni historia curiosus Comes contulit. Duos nominem. *Adlerbeth,* ut alius Cato, senex literis græcis vacare cœpit. Sic enim se repuerascere, vel potius lætos annos juventutis revocare posse putavit. Interpretationum quidem ejus hæc prima caussa narratur: Præceptor filii locum Virgilianum verti jusserat. Pater filio adsidens ligatam periclitatur interpretandi rationem: quum vero fausta Musis arriderent sidera, in cœptis pergit. Annus tum a. Chr. n. volvebatur 1800. *Dahlberg N.* Medic. a Linneo creatus Doctor, in rebus Metall. Consiliarius Ordinisque de Wasa Eques & Commend. huc plurima sua scripta misit. De morte R. Gustavi III, quam præsens viderat, deque genere & moribus Filii, cui puero Medicus adfuerat, de illis, qui in deliciis R. Gustavo III erant, de moribus Aulicorum, literisque inter R. Gustavum III & Imperatr. Catharinam, ceteris, multa scripsit. Nuda sane sub illius manu veritas, nec parum luminis historico futuro scripta ejus præbebunt.

Poëmata hic collecta denique adferamus. *Latina,* Stobæi & Peringeri, Com. M. G. De la Gardie dicata, & non nulla Corylandri, Poëtarum in Suecia Latinorum fere principis. *Suethica* carmina quam plurima. Adferam Stiernhielmiana a. 1690, nitidissime descripta; Vita Com. G.

Bonde, Historiæ Fredericianæ Auctoris, autographa; Carmina, quorum pleraque Excell. Comiti dicata sunt, J. G. Oxenstierna, Leopold, Silverstolpe, Wallin, Wallerii, Kullberg, Franzén & Illius, cujus nomen, more Judæorum, sancte reticendum videtur. Adsunt quoque *Gallica* e. gr. Ducis Pienniæ, Peltier, Le Moine; *Germanica, Anglica, Hispanica,* ex quibus adferam Ducis Frias, & *Italica.* Versus recentiorum Poëtarum ideo quoque rari, quod plerique propriis Auctorum manibus scripti sunt.

I. B) Manuscripta in librorum formam compacta.

In Literis *Theologicis* Missale vetustissimum elucet. In libris, quæ de *Jurisprudentia* agunt, observem: Sverges beskriffne Stadslag, gifvin af Biörkö m. m. qui liber sub imperio R. Caroli XI, ni fallor, descriptus est. Samlingar i Sv. Lagverket 1270—1682. pagg. 668 in Fol. Hic exscripta quædam e Codice quodam *Juris Westro-G.* vetusto; variaque decreta R. Magni I, &c. — Trollprocessen i Dahlarne 1757—63. In his literis, quid R. Gustavo III debeamus, luculentissime elucet. Neque ego miror, tantam, ineunte hoc nostro ævo, exstitisse insaniam, quippe cum spectra, ut fabulantur, sub diluculum præcipue appareant. Solem vero orientem umbræ fugiunt. Sic Gustavus omnia, præter ævi auctoritatem, superavit. Chronos enim ipsorum Deorum pater & princeps. Miseris, de quibus hic agitur, succurrit Comes illa De la Gardie, quam Pater Excell. Bibliothecæ Possessoris primis nuptiis secum junxerat. Neque injuria numum ei procuderunt Ordd. Regni, in quo legitur: "*fulcrum infelicibus.*" In Bibliotheca *historica:* Historiska Samlingar, 2 Tom. in Fol. De quibusdam antiqua manu adnotatum est, Episc. Botvidhum, carcerem aditurum authentica flammis abolevisse a. 48. De anno vero non inter auctores convenit, siquidem alii 1552, alii 1556 Botvidhum in vincula missum faciunt. Olavum Petri in chro-

nicis suis conscribendis hæc consuluisse, adnotatio quædam affirmat. Hic etiam Oratio, quam Com. Ax. Oxenstierna R. S. Canc. d. 17 Dec. 1611, cum Gustavus II Adolphus Rex renuntiaretur, habebat, m. pr. scripta asservatur. Olavi Petri Chronica Sueth. & Danic. lingua, cui adjecta: Den gamle Kejserlowen, variæque historiæ veteres. Hert. Carls Slagtarbänk. Rar. Warmh. 6. p. 193. Ministern Bar. Friesendorffs Samlingar, I Tom. pp. 819. Miscellanea, 12 Tom. In his: Allehanda documenter och relationer om Jullands intagelse, fra de förste infald 1622, intill de drogo ud af landet igen 1629. Epistola ad Ordd. R. Su. Prin. Caroli Petr. Ullr. dat. Kilonii d. 15 Dec. 1740. Hæc ultima: Jag får anbefalla mig såsom ett fader- och moderlöst och under främmande förtryck suckande barn i Högtl. R. Ständers högtskattade hägn och beskydd. — Quæ vero collectiones si rite explicarentur, suam quæque dissertationem desideraret. Aliquid vero maturioribus annis & viribus relictum voluimus. — Liber quidam adest, Doctorum imaginibus investitus, quo *Albo* usus est Pastor Junecopensis Glandius a. 1604—1623. Plus centum nomina illustrissimorum ejus ævi hominum hic sunt inscripta: e. gr. R. Gust. II Adolphi, Princ. Johannis Ducis Ostro-G., Reginæ Mariæ Elisabethæ, Com. Ax. Oxenstierna, Com. Gabr. Oxenstierna, Magni Brahe, Birgitæ Brahe, Salomonis Gesneri, Petr. Rudbeckii, Johannis Rudbeckii, B. Bonde, Paulini Gothi, Phrygii Sylv., Joh. Burei, Joh. Skytte &c. &c., inter quos 13 Episcopos invenies; & sua cuique nomini sententia plerumque adjecta est. Historiska upplysningar om Sveriges tillstånd under Fredr. I Regering. Hic liber a. 1779 & 1794 Holmiæ depravatissimus edebatur. A. 1821 appendicis instar libri Tessin & Tessiniana denuo emendatior edebatur. In hoc, cui certiorem habemus fidem, exemplari Possess. Excell. adnotavit. "Detta Manuscript är af originalet afskrifvet, som H. E. R. R Grefve Carl Bonde behagade till Sjöö Bibliothek lemna för att afskrif-

vas d. 17 Julii 1789 och var Originalet af sal. Gr. G. Bondes egen hand." Hjerne-ättens minne af Bar. Tilas, libellus auctoris propria manu scriptus. Memoire de ce qui s'est passé en Suede à la Diéte 1738 & 39. Berättelse rörande 1772 års Revolution, författad af J. C. Toll. Cujus libelli editio exspectationem sine dubio superabit. Gustaf III:s Annaler, nescio a quo Auctore. Hic νυκτι ἐοικώς, ut in prima est Iliade, Apollo. — In Bibliotheca *Philologica* libri quidam manuscripti videntur. *L. L. O. O.* scripta adsunt A. G. Holm V. D. M. qui harum literarum studio inclaruit. *Latina* quædam adsunt vetera manuscripta. *Gallica* quoque non pauca. Adferam: La Verité toute nûë, ou Anecdotes relatives au projet de la Conquete Universelle; Chef d'Oeuvre du Card. de Richelieu; Revû, Corrigé & augmenté pár les Ministres, qui lui ont succedé; Avec les Amours dela Marquise de Pompadour. In fol. pp. 650. *Hispanica* quædam adferam: Vida Interior de Felipe 2:o. Rey Catol. de Espanna. Escr. por su Secretario Anton. Perez. Magnus, Christiernus & Philippus Secundi id habent commune, ut alia aliter de illis gens judicet. — Numancia, Tragedia en 3 actos Comiti Excell. inscripta. Nec *Britannica* omnino absunt: The interest of the English in the Sound. Handwritten the 16 of May 1660. Adferam quoque Philippi Meadow coram Senatu Britan. de statu rerum inter Suecos Danosque, Dec. 1659, explicationem. *Germanica* Manuscripta pauca. In *Danicis* Causa Reginæ Carolinæ Mathildæ & Comitis Struense, quæ inscribitur: Laes og Tie. Ol. Petr. Chron. Vide supra. In *Norvegicis* manuscriptis Physici J. Ch. Fester de calore Solis disquisitio elucet. In *Russicis* haud pauca adsunt, e quibus Lexicon quoddam inceptum nominem. Ad hanc primi capitis partem Diaria Excell. Comitis, quæ p. 10-12 allata videre licet, proprie attinent. Hic tantum observem, adesse quoque diaria Sociorum Ejus sub legationibus attentissimorum Röök, Lorich & Alin.

II. Libri quodammodo rariores.

Manuscriptis sic brevius indicatis, libri typis exscripti, qui paucis illustrentur, jam restant. Ab omnibus autem, qui hæc in manus sument, postulamus, ut majus quiddam de illis, quam quantum a nobis exprimetur, suspicentur. Qui enim hunc librorum thesaurum videns admiratus est, idem dissertationem jam edituro necesse est cedat. Librorum enim index gravissimis ibi conclusus voluminibus, hic paucissimis continebitur pagellis.

In *Bibliotheca Theologica:* Missalia duo, e sæculo typographico, Madriti emta. Bibliorum Editiones 16. In quibusdam vitæ m. pr. scriptæ sunt nobb. antehac Possessorum. Catechismus Terseri Aboæ a. 1663 editus, cum m. pr. adnotatis Censoris Severiss. Svenon. Enevaldi animadversionibus. Lutheri Catechismus, Sueth. & Americo-Virginica lingua, in usum novæ Sueciæ, jussu R. Caroli x Gustavi a. 1656, a Pastore Colonorum Campanio scriptus; una cum Novæ Sueciæ charta geographica, Vocabulario Barbaro-Virginico & historica de Vin- & Skrällingaland disquisitione. Nunc, ut geographia Philadelphiæ edita me docuit, ne minimum quidem coloniæ vestigium. Reports of the British and foreign Society for 1805—15, 8 Tom. Excell. Comiti cum literis dedicatoriis hi libri humanissime oblati sunt "as a testimony on the part of the Committie of their respect for you Excellences character, and of their gratitude for your kind and valuable attention to the object and prosperity of the Institution." — In Bibliotheca *historica* excellentia & divitiæ hujus librorum thesauri præcipue elucent. Ex libris *latinis,* sæculo typographico impressam afferam Historiam destructionis Trojæ, compositam per judicem Guidonem de Columna Messalensem, scriptam a. 1287, impress. a. 1477. Initium: Licet cotidie vetera recētibus obruant'. Coronis: finit feliciter. Cfr.

Heine in Excurs. ad Virg. *Æn.* Lib. 2. Huc quoque libellum, licet patrias res attingentem, referam, qui inscribitur: Suecia, s. de Suecorum Regis dominiis & opibus. Commentar. Polit. Lugd. Bat. 1631; auctoribus H. Sotero, Dahlia-Sueco, A. Bureo & Joan. Messenio. Historiarum *Suethicarum*, quæ absunt, quam quæ adsunt, brevior fortassis index. Nominem tamen Olf Rudbecks Atland, 1 & 2 partt. cum fabellis quibusdam antiqua manu adscriptis. In libris *Gallicis* Commentariorum (Memoires) numerus omnem opinionem superat. Quæ enim Parisiis in lucem eduntur & aliquid laudabile præ se ferunt, ea, pro facultate, Excell. Comes quotannis coëmit. Ut in historia Franco-Gallica, ita in *Britannica* Auctores primani adsunt. In Suecia tamen sine dubio rarissima sunt, quæ historiam spectant *Hispanicam*, quippe cum deliciis literarum, quas Quintiliani Senecæque populares scripserunt, nobis plerumque frui denegatum sit. At per Germaniam hæc excellens & ingeniosa gens, siquidem ingenii vim neque Areopagitæ opprimunt, nec Pyrenæi montes concludunt, litora nostra sine mora nactura erit. Historiæ Hispanicæ, ut in verba Excell. Possessoris jurem, optimæ. Ille enim hanc linguam, ut sex alias, callens, literis Hispanicis valde delectatur. *Danicas Germanicasque* Historias, licet vulgatiores, tamen præsentes referam. Nomina vero Auctorum harum gentium describere, brevitas, cui studeo, vetat. Historicis hic catalogus foret superfluus, cum auctores classicos bene norint; ceteris vero inutilis. — In libris *Politicis* effulget: A Letter on the abolition of the Slave Trade by W. Wilberforce Esqu. 1807; Excell. Comiti amicissime inscriptus. Bibliothecam *Philologicam* literarumque elegantiorum, quæ ditissima est, jam attingimus. *L. L O. O.* non omnino exclusæ sunt. Librum enim Adami Amico suo dedit Auctor. Hic Hellada juvenis invisens, ejus naturam ita suam vindicavit, ut mitiorem magisque ingenuum reperias neminem; senex vero montana, ubi rupes Suethicæ

cœlo maxime vicinæ sunt, incolens, illarum naturam laudi nominique suo reddidit. Hunc nihil, præter famam, vincit. Multas quidem peragravit terras, orbem vero fama. Nestoream ætatem fere nactus est; dum autem orbis ruit, fama ejus vigebit. *Græcæ* literæ quædam rara, a Knight profecta, habent. Delineata etiam ab illo lamina ærea, in agro Eliaco effossa, atque inde a G. Gell a. 1813 reportata, quæ fœdus inter duas ejus regionis gentes circa Olymp. XL initum exhibent. Musæ *Latinæ* hic suum in Suecia forsan pulcherrimum habent opus: Les Metamorphoses d'Ovide, Lat. & Fr. par Desaintange, Orneés de 141 Estampes, Paris 1808, 4 Tom. 4:o. Librum antea possedit maximus hujus ævi Vir Napoleon, cujus mortui jam sandalia talentis emunt adversarii. Insigne Ejus & N coronatum in pelle fulgent. Carmina Phrygii Sylvestri hic afferam, quippe cum hoc exemplar R. Catharina a. 1620 & R. Hedv. El. Charlotta a. 1810 possederint. Inter literas *Gallicas* tot & tam eximiæ eminent, ut quibus palma deferenda sit, dubii, præsagio lectorum illas relinquamus. Hic enim Auctores Classici, carmina plurima dramatica, encyclopædia, auctorum Græcorum Latinorumque interpretationes &c. &c. elucent. Nec minor Britannorum Auctorum splendor. Poëmata & Fabulæ epicæ W. Scott, G. Byron, ceterorum, utpote quæ Excell. Comiti oblatæ sint, fulgentissimæ. Poëtarum quoque adest editio Edinburgensis, 104 voll. constans. Opera aliorum Auctorum picturis sæpenumero repleta sunt pulcherrimis. *Hispanici* libri frequentes ornatique. Quibus in enumerandis multus essem, quippe qui, præter Löberöd, nullum, quantum ego scio, in Suecia habeant hospitium, nisi jam fines dissertationis longe transiissem. Sueco quidem novum mirumque videtur, Academiam Hisp. tam multa edidisse opera. Orthographia, quam scripsit, typos singulorum sæculorum, Gothicos, Ulphilæ, Moz-Arabum, quos Christiano-Samaritanos haud incommode dixeris, Runas &c. delineatos exhibet. Neque tamen hæc Academia sola diligens.

Cives enim, quo libertatis amore ardent, non possunt, quin ingeniis excolendis acriter studeant. Scilicet hæc ingenii est natura, ut, florum instar, qui, cum sole colorantur, tantum eminent, nisi libera sit patria vires exserere nequeat. Fabulæ, quæ cum epico fingendi genere in multis conveniunt, hic inprimis vigent. Fata Quixoti diversis editionibus lepidissime depicta sunt. Quidquid aliæ gentes habent præclarissimum, id etiam sibi vindicant. Cajo Salustio Crispo additum est: del Alfabeto y lengua de los Fenices y de sus Colonias. Torqu. Tasso in linguam quoque versus Hisp. Comiti Excell. ab Acad. dicatus est. *Italicæ* & *Hollandicæ* literæ humaniores, præter numerum in hac Bibliotheca exiguum, nihil omnino habent commune; hac enim lingua Portitor stygius; illâ, qui elysia incolunt rosaria, ut opinor, loquuntur. *Germanicis* literis, qua jamjam sunt auctoritate, si ceterarum divitias respicimus, minor habitus honor videtur. Non plus enim quingentis voluminibus Biblioth. Germanica constat. At posterioribus annis aliquid relictum esse debuit; nec est dubium, quin Flores Germaniæ, licet jam tenues, hic brevi uberrimi emineant. Herder aliique copiosissimi celeberrimique auctores, quasi prænuntii, jam advenerunt. In bonis literis *Danicis*, quæ plurimæ ad sunt, Epos illud enitet Inclytissimi Oelenschlæger, qui quasi alter Adamus in Paradiso vivit & fingit, Nordens Guder, his ad Excell. Comitem missum versibus:

Til den Ædle Greve De la Gardie.

Du Gode *Jarl*, som viste fremmed Skiald
Saa megen Venlighed ved Svea Kilde,
Som førte mig ind i Din Konges Hal,
Hvorved et Smiil mig skiænktes af den Milde,
Modtag min Tak, Hør af en Danskes mund
En Sang om ælste Nordens Gudeskare.
Ei Skiller Kattegat og Oeresund
De Hierter, som Uskyldighed bevare.
En Stamme, gammel, diærv og Odin værd,
Maa ælske Sig! — Kun Daarerne kan hade —

Thi skiænker Thor os ei det samme Sværd
Og Idun ei de samme Egeblade?
Kiœbenh. d. 12 Dec. 1819. A. Oelenschlæger.

Musis *Suethicis*, hic, ubi conveniant, Pindus suus, lauretum suum, fons suus & umbra. Ubi enim Mæcenas, ibi Horatius aliique usque ad Mævium.

Ceteras vero Bibliothecæ partes illustrare, ne in libellum hæ pagellæ abeant, differo. Quis est, quin videat, quam difficilis sit decem millium librorum dijudicatio. Quo enim pauciores afferendi sunt, hoc majori delectu opus est. Satis autem mihi videor de Bibliotheca scripsisse, si, qui legant, me solum hujus brevitatis accusent, & notitiam sibi adquirere velint perfectiorem. Sibi quoque persuadeant, esse neminem, quin, si illi eadem cognoscendi contigisset occasio, eadem ratione judicasset. Igitur Lectoribus, vero inoffenso, probatus, uni tamen me interdum displicuisse vereor, verecundiæ Possessoris. Qua re licet Illi minus prober, Ille tamen, quem amem & admirer, erit dignior.

III. Museum.

Huc si referam libros, figuris æneis picturisque copiosissime investitos, qui quidem Musea exposita sæpenumero sunt, non contemnendum sane erit Bibliothecæ Dela Gardianæ Museum. Hic enim, ut quam paucissimos referam, Libri, ubi imagines, una cum vitis, nitidissimæ Celeberr. Britannorum, Hispanorum, Gallicorumque conspiciuntur; hic quidquid tota Britannia habet rarum & antiquum in 10 Voll. delineatum est; hic Microcosmus Londini; hic omnia, quæ, cum ad finem sæculum XVIII vergeret, commutatio rerum Gallicarum habet horrenda, depicta; hic horti Gallici; hic Itinera, per Lapponiam, Sueciam, Galliam, Hispaniam, Lusitaniam, Italiam &c.; hic bella Fr.-Gallorum in Ægypto, Italia, Belgio, Germania, Borussia, Hispania, Russia &c. &c. 1798-1815, 2 Voll. in Fol. 600 pagg. ubi 40 prælia & 100 Ducum imagines videntur, Parisiis 1817; hic Herculanum cum omnibus suis divitiis in lucem nitidissime editum; hic cultus ritusque omnium religionum; hic denique præclarum

illud Museum Napoleonis. Chartæ geographicæ, variæque ære insculptæ imagines, quarum pars, Londini a 1814 edita, ultra fidem deformata est, pæne innumeræ. Russicus hic fulget liber, quem ab Imperatore Alexandro acceptum R. Carolus XIII Excell. Comiti dedit, ubi Equites & Stellæ, quibus adornantur, splendent. Antiquitates Suethicæ & Norvegicæ hic, præcipue adumbratæ & descriptæ, oculis subjectæ sunt. Centum delineationum manualium Nicodemi Tessin, pluriumque Comitis G. A. Sparre, collectio hic quoque asservatur. Ex quo genere est ditissima illa collectio, quam Dux Albertus, 15,000 florinis emtam, Excell. Comiti, Viennâ abituro, in sui dedit memoriam. Catalogus ejusdem impressus exstat. Ordo varias disciplinas respicit. Hic quæ omnes fere celebriores Artifices m. pr. adumbrarunt & pinxerunt, conspicere licet.

Ad Museum hæc tamen propius attinere videntur: Galeæ, Thoraces; Stimuli, quibus injectis tauros Hispani acrius incitant; Horologium, quod Tycho Brahe olim possedit, artificiossimum; Horologium, ubi, hora expleta, Apostoli Christum salutantes progrediuntur, Comiti C. G. Wrangel a. 1637 a Civitate Hamburgensi datum; Calyx auro eboreque nitens, (opus cælatum), dono Comiti J. Ch. Königsmark a Civibus Pragensibus datus; Armamentarium quoddam gladios, bombardas &c. continens; (quasdam Avi Excell. Possessoris a Regibus, sub quibus florebant, acceperunt); Vestes argenteæ, vetustæ; Hemitoma; Telescopia; Navicula sic dicta aerea, quam, una cum libellis, Rex, nescio quis, Sueciam ambiens, in litora Patriæ olim transmisit; Imagines (archetypi) Celebriorum Comitum, utriusque sexus, De la Gardie, quarum nonnullas Ehrenstrahl pinxit; Vita pastoralis a Camp-hausen optime depicta; Equus ligneus, quo, dum erat puer, lusit CAROLUS XII, quod indicis ultimum erit nomen.

Errata

Lectorum indulgentiæ commendem, quæ p. 6, l. 22, 26; p. 9, l. 11; p. 10, l. 22, (sibi pro ipsi); p. 12, l. 12; p. 16, l. 14; p. 18, l. 18, & forsan aliis locis irrepserint. At διϋλίζειν τὸν κώνωπα aliis, quibus placeat, quasi nobis ingratum, relictum facimus.